



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

7. Solutio adversariorum impugnatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

qualiter sit considerandum est, sicut enim supradictum, est intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante, sicut actus, & perfectio eius, propter esse est perfectio existentis, sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem; in deo autem non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse; unde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est; ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius esse, & sic patet, quod in deo intellectus, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem. Ecce in his omnibus locis b. Thomas asserit, intellectionem esse operationem immanentem, & essentiam esse tum intellectum, tum speciem intelligibilem; sed operatio respectu intellectus, & speciei intelligibilis est actus secundum respectu actus primi: ergo in deo datur actus primus, & actus secundus intelligendi modo nostro concipiendi, & licet in verbis adductis dicat d. Thomas, quod in deo intellectus, & ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem, illa particula, omnino, non destruit rationem actus primi, & secundum modo concipiendi, neque distinctionem inter intelligere, & intellectum per rationem, sed solum distinctionem à parte rei, ut contendebant aduersarii in eodem articulo. Quod amplius declarat in responsione ad primum his verbis, [ad primum ergo dicendum, quod intelligere, non est operatio existens ab ipso operante, sed manens in ipso,] & ideo docuit Angelicus Doctor *quest. 1. de potentia, artic. 1. ad primum*, cognitionem dei habere principium secundum rationem: atqui operatio habens principium sui esse est actus secundus, & principium illius est actus primus: ergo iam in deo datur modo nostro concipiendi actus primus, & actus secundus intelligendi.

## SVBSECTIO VII.

*Solutio aduersariorum impugnatur.*

<sup>69</sup> Pater Herize ubi supra, *disputat. 2. de natura scientia. cap. 3. num. 23. §. his prædictis*, ideo negat dari in deo actum primum, & secundum intelligendi adhuc per rationem; quia nullum est prædicatum proprium actus primi seu potentiae, quod in suo formali conceptu ex sese non inuoluat imperfectionem. Cum autem ratio nostra Deum ut est in se concipiens adscribere Deo non possit prædicatum, quod ex ratione essentiali inuoluit imperfectionem, ideo nec per rationem constitui potest in deo potentia intelligendi radicalis, aut formalis, seu actus primus.

<sup>70</sup> Sed contra manifeste, quia dupliciter possumus concipere aliquam rationem Deo, primum solum ex parte nostri modi concipiendi in simplici apprehensione dei, secundum ex parte ipsius dei attribuendo deo per iudicium talem formalitatem, quam concipimus, verbi gratia, quando concipimus Deum eo modo, quo ab scriptura depingitur, ut ignis consumens, secundum illud: [Deus ignis consumens est;] vel quando consideramus ipsum per modum solis fulgentissimi, ut legitur in sacris libris, [sol iustitiae deus noster,] aut tandem quando concipimus Patrem æternum per modum senis barba, & capite canum, eo modo quo legitur in *lib. Danielis*; hæc enim formalitates, seu rationes solum se habent ex parte modi nostri concipiens

di, & sistunt, ut ita dicam ex parte simplicis apprehensionis; quare si à nobis interrogetur utrum Deum sit ignis, sol, aut senex, eo modo quo à nobis concipitur per simplicem apprehensionem! Respondemus sine ulla dubitatione, nullo modo esse ignem, solem, aut senem, sed potius infinitam, spirituales, & perfectissimam substantiam sine ulla imperfectione corporeitatis, & accidentium, quæ reperitur in sole, igne, & senes. Ecce quomodo aliquid concipimus per simplicem apprehensionem de Deo, quod solum se habet ex parte simplicis apprehensionis, quodque minime attribuiamus, sed potius cunctis viribus negamus de Deo, in eo oppositum secundum fidem, & lumen naturæ cuius constanter affirmamus de ipso.

Ratio autem quare ita concipiamus per simplicem apprehensionem Deum est, quia ipsum imo & res spirituales non possumus in hac vita immediate intuitivè, ut in se sunt, concipere, sed potius abstractivè, ac proinde mediate per creaturas, & per alienas species receptas per sensus secundum illud axioma, [nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu,] quod intelligitur de intellectu in simplici apprehensione, nihil enim apprehendimus per primam cognitionem, nisi quod antea cognovimus per sensus, aut secundum similitudinem eorum, quæ per sensus cognovimus, quæ tamen cognitio postea tum in iudicio, tum in discursu adiuti lumine fidei aut principis scientiarum corrigimus, ut ita loquar, affirmando oppositum, quod per simplicem apprehensionem apprehenderamus, & conceperamus: cum autem omne quod per sensus cognoscimus mediantibus speciebus acceptis ab obiectis, sit corporeum, v.g. sol, homo, senex, & ignis, inde est, quod Deum, & res spirituales ad modum corporum necessario apprehendamus, neque possumus aliter concipere res spirituales. Quod adeo certum est, ut nulla dubitatio sit apud omnes Doctores; unde irridetur qui diceret, se Deum posse apprehendere non ad modum rei corporeæ, sed potius ut in se est, in quo statim caperetur, & convinceretur falsitatis solum interrogando ab ipso, ut explicaret nobis talem novum modum concipiendi inauditum omnibus, cuius oppositum continetur in scriptura, ut patet ex locis nobis adductis.

Itaque necessario, & dum in hac vita sumus per modum rei corporeæ debemus Deum concipere: tunc sic, primus modus concipiendi licet imperfectum inuoluat non ideo vitandus, neque oppugnandus viro Theologo, ac Philosopho, tum quia deus, qui de seipso loquitur in sacra Scriptura vitatur hoc modo loquendi, & explicandi suam maiestatem; quia videt aliter cum hominibus non posse loqui, qui affluenti rebus corporeis de diuinis non nisi ad similitudinem corporis possunt loqui, ac proinde ipsis impossibilia non debent peti; satisfaciunt enim decori diuinitatis, seu obligationi loquendi de Deo, corrigendo per discursum, & indicium id, quod male de Deo in simplici apprehensione concipitur, & fatendo id ita concipere sequia aliud fragilitas humana non patitur; quare qui hunc modum concipiendi oppugnare intendit, docendo esse indignum Deo, fallitur manifeste, alias in Scriptura aliquid indignum Deo ponitur, quod non est dicendum, præcipue quando excellentia Dei infinita propter summam eminentiam ipsius à nostra tenet. Ultima apprehensione aliter cognosci non potest, esset autem indignum Deo, si interrogati, an Deus sit corporeus & an sit eo modo quo per simplicem apprehensionem concipimus. Responderemus, Deum esse corporeum, & talem, qualem apprehendimus prima operatione intellectus, apprehendi autem vno modo

propter nostram fragilitatem, & quia aliter facere non possumus, & fateri per iudicium nostram miseriam, & cernui venerari infinitam illam maiestatem, fatendo milles, deum minime esse corporeum, sed infinitum ens, spirituale, infinite perfectum, sine vlla imperfectione infinitoque intervallo superans nostram tenuissimam capacitatem. Alio concipiendi modo corrigendo id, vt dixi, quod imperfecte per simplicem apprehensionem conceptum erat; nihil indignitatis habet respectu dei, quod nos secundum vires nostras possumus executioni mandare.

72 Quapropter ipse deus qui praecipit nobis, vt de ipso ageremus, & ipsum in mente haberemus, & ex alio capite condidit capacitatem, & fragilitatem nostram secundum quam aliter de deo cogitare non possumus, sine dubio nihil indignum a nobis committi aduersus infinitam perfectionem suam videt, quod euidenter patet; siquidem cognoscendo hoc, proponendoque in scriptura exemplaria quibus vtamur ad loquendum, & & cogitandum de ipso, iubet, & praecipit, vt sic loquamur & sic cogitemus de ipso, dum tamen per iudicium huiusmodi simplicem apprehensionem corrigamus.

73 Itaque, licet imperfectio sit in simplici apprehensione, hic modus cogitandi non est oppugnandus, quia est inenitabilis; oppugnandus autem deberet esse si modus concipiendi similis in iudicio repetitur.

74 Tunc sic, actum primum, & secundum concipimus solum in apprehensione; quia cognoscimus intellectum, & intellectionem diuinam per species creaturarum, in quibus datur actus primus, & secundus: ergo non est oppugnandus talis modus concipiendi, quia tota imperfectio illius sistit ex parte nostrae conceptionis, vt docebat P. Suarez, & non est ex parte obiecti, praecipue quia nos, qui ita concipimus, dum accedimus ad iudicium, dicimus & affirmamus in deo non dari actum primum distinctum a secundo, sed potius esse vnam simplicissimam, & indiuisibilem entitatem: ergo nihil tribuimus deo imperfectionis. Patet consequentia, quia omne quod tribuitur alicui subiecto, debet esse per affirmationem; & enuntiationem de illo; atqui tota affirmatio est in iudicio & non in simplici apprehensione: ergo etiam si imperfecte cognoscamus Deum, nullam imperfectionem ei tribuimus, quia simplex apprehensio nihil tribuit obiecto proprie loquendo: ergo propter hanc attributionem falsam cogitatum ab Herize non debet oppugnari talis modus concipiendi, quia qui ita oppugnat, oppugnat nostram fragilitatem, & vult vt aliter quam possumus de Deo loquamur, quod est indignum viro sapienti.

75 Quod sic manifeste demonstratur ad hominem; quia maior imperfectio est in aliquo subiecto esse corpus, quam habere in intellectu actum primum & secundum, & ideo minus imperfectionis habet Angelus, quam lapis, & reliqua corporea, etiam si habeat ille actum primum, & secundum intelligendi; quia spiritualis est, & non corporeus, & illa habent imperfectionem corporis, quare imperfectius concipit Deum per simplicem apprehensionem, qui considerat ipsum ad modum corporis, quam qui concipit illum, ac si haberet actum primum, & secundum in intellectu. Vnde turpius erraret qui iudicaret Deum, & affirmaret, ipsum esse corporeum quam qui diceret esse spirituale, & infinitam substantiam habentem actum primum, & secundum intelligendi; quia primum

est summa, & maxima imperfectio, quae in rebus potest excogitari; secunda autem licet imperfectio sit, nihilominus tamen reperitur in perfectissimis omnium creaturarum v.g. in Angelis; atqui tu ipse, qui oppugnas actum primum, & secundum in Deo solum per simplicem apprehensionem conceptum, concipis, & apprehendis Deum per modum corporis: ergo imperfectius amplecteris, & quod non est ita imperfectum oppugnas.

Quare sicut tu iure optimo irrides illum, qui multis verbis, & argumentis persuadere contenderet, te non debere apprehendere Deum ad modum corporis, eo quod esset imperfectissimus modus concipiendi; quia talis imperfectio non refunditur in Deum, sed sistit in nostro modo concipiendi, dum tamen in iudicio non tribuamus Deo corporeitatem; praesertim cum aliter Deum apprehendere non possumus propter nostram fragilitatem. Ita similiter nos irridemus illos, qui dicunt, non debere nos per simplicem apprehensionem vim intelligendi diuinam ad modum actus primi, & secundi, cum talis imperfectio non refundatur in Deum, sed sistat in modo nostro concipiendi, praecipue cum in iudicio asseramus nullum dari in Deo actum primum, & secundum: ergo sicut tu sine vlla imperfectione ex parte Dei concipis Deum ad modum corporis, qui est imperfectissimus omnium cognoscendi modus, a fortiori sine vlla imperfectione ex parte ipsius poterimus apprehendere Deum per modum actus primi & secundi, qui modus concipiendi non est aequo imperfectus, ac primus.

77 Declaro amplius, tu, & omnes Theologi concipiunt distinctionem inter attributa diuina, imo inter gradus diuinae essentiae, & nihilominus ex tali modo concipiendi, quia solum se habet ex parte conceptionis & sistit in sola apprehensione intellectus, nulla refunditur imperfectio Deum, quae sine dubio tribueretur, si a te, & a Theologis omnibus ita affirmaretur per iudicium, sicut concipitur per simplicem apprehensionem, vnde tale iudicium deberet oppugnari, vt impium, ac proinde deberet corrigi, & simplex apprehensio debet defendi, quia licet imperfecta sit, est tamen necessaria propter nostram tenuitatem, & fragilitatem ad intelligentiam mysteriorum nostrae fidei: ergo similiter defendenda est, & non oppugnanda conceptio per simplicem apprehensionem actus primi, & secundi intelligendi in Deo. Nec obstat dicere Deum habere fundamentum in ipso, non vero actum primum, & secundum; quia etiam actus primus, & secundus intelligendi habet fundamentum in ipso Deo, vt iam supra demonstraui.

Deinde, quia etiam si non daretur fundamentum in Deo ad aliquid, potest illud concipi de Deo cum imperfectione ex parte nostra, & sine vlla imperfectione ex parte ipsius, quia solum sistit, vt dixi in apprehensione simplici, quia ex illa ad obiectum nulla refunditur imperfectio: quod patet euidenter dum concipimus Deum ad modum corporis, in quo nullum est fundamentum ad talem corporeitatem concipiendam, & nihilominus quia in creaturis omnibus, per quas concipimus Deum, & ex quibus accepimus species per sensus ad agendum de Deo, & sine quibus nihil de ipso cogitare possumus, datur essentialiter & necessario corporeitas, sufficit hoc vt sine vlla imperfectione, & sine vlla reprehensione, imo conformiter ad modum loquendi scripturae accommodatum fragilitati nostrae, necessario, & inenitabiliter loquamur, & cogitemus de ipso: ergo si in omnibus creaturis

78

79

30

81

84

1-

## Quaest. II. Vtrum Deus const. form. intell. 247

dabatur obiectum actualis cognitionis, sine quo non datur actualis cognitio in Deo; unde haec est vera causalis, ideo cognoscit Deus creaturas futuras; quia ipsae futurae sunt in seipsis: ergo natura diuina quantum est ex se, & ex parte sua intrinseca formalitatis est indifferens, vt cognoscat, & non cognoscat creaturas futuras; quare si dantur, cognoscit illas; si non dantur, non cognoscit easdem; unde pro priori ante decretum liberum absolute non scit futuras creaturas actu, & nihilominus ante decretum, & pro priori illo non potest negari, quin possit Deus cognoscere creaturas futuras: unde Deus quantum est ex se praescindit a cognitione actuali creaturarum futurarum, & minime praescindit a posse cognoscere illas: atqui post decretum liberum diuina voluntatis nihil additur adhuc per rationem intrinsecum diuinae naturae, sed solum additur futuritio creaturarum: ergo nullo modo datur actualis cognitio futuritiois; patet haec consequentia, quia post actum liberum solum datur adhuc nostro modo concipiendi ex parte Dei natura ipsius, quae quatenus intrinseca entitas est solum posse cognoscere creaturas; ex parte creaturarum solum datur adhuc modo nostro concipiendi intelligibilitas sine alia formalitate praeter illam, quae nihil aliud est, quam potentia passiva, seu posse cognosci: ergo nostro modo intelligendi solum datur, & posse cognoscere, & posse cognosci; sed ex duplici posse solum non potest coalescere actu cognoscere: ergo secundum vestra principia non potest saluari actualis scientia diuina: patet consequentia, quia actualis scientia diuina distinguitur virtualiter a parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi a posse cognoscere, & a posse cognosci; ergo praeter posse cognoscere, & posse cognosci addenda est alia formalitas distincta ab illis, per quam de potente cognoscere transeat Deus nostro modo concipiendi ad actu cognoscere creaturas futuras, & actuales, vt possit denominare creaturas futuras, quae ex se cognoscibiles sunt actu cognitae: patet consequentia, quia quando aliqua formalitas distinguitur a potentia vt transeat potentia ad actum illius formalitatis, debet fieri additio illius supra potentiam; sed formalitas actualis cognitionis distinguitur virtualiter, & formaliter ab ipsa potentia cognoscendi, & ab ipso obiecto cognoscibili: ergo quando actu cognoscit Deus tale obiectum, additur virtualiter a parte rei formalitas cognitionis intrinsecae cognoscenti, & extrinsecae obiecto, & formaliter per intellectum.

83 Minor illa sic demonstratur, quia creatura conuenit cum Deo a parte rei per suum intellectum, & potentiam intelligendi, hoc est intellectus creaturae conuenit cum posse intelligere diuino, & non conuenit cum actuali cognitione diuina; quia noster intellectus non est actualis cognitio; sed conuenire, & non conuenire a parte rei, vt patet ex saepe dictis indicat distinctionem virtualem a parte rei inter perfectiones diuinas, & distinctionem formalem rationis ratiocinatae inter easdem: ergo posse intelligere creaturas futuras, & actu intelligere easdem distinguuntur virtualiter a parte rei, & formaliter per intellectum.

84 Vrgetur, ex posse cognoscere diuino creaturas posibles, & ex posse cognosci illarum praecise, & formaliter sine vlla additione aut interuentione alterius formalitatis intrinsecae naturae diuinae, non potest coalescere actualis cognitio necessaria Dei; quia actualis cognitio Dei distinguitur vir-

tualiter a posse cognosci diuino, vt patet ex conuenientia, & non convenientia, quae datur cum posse intelligere diuino, & posse intelligere creaturam simul cum intellectu actuali eiusdem, eodem modo quo nuper argumentum confestim; quapropter intelligibile est, quod ex posse intelligere, & ex posse intelligi ex parte obiecti, scilicet creaturae possibili, confurgat in Deo sine vlla addito realiter formaliter, vt est certum, neque virtualiter, aut formaliter per intellectum denominatio cognoscentis formaliter actu creaturas, quia nulla potest resultare denominatio sine aliqua forma a qua sumatur illa; sed inter illas formalitates, quae assignantur nulla est a qua possit sumi denominatio actu cognoscentis: ergo per illas formalitates praecise sine vlla alia additione non potest denominari Deus actu sciens creaturas posibles. Patet consequentia; quia omnes illae formalitates solum sunt potentiales, scilicet posse cognoscere, & posse cognosci, & denominatio, quae actu resultat non est solum posse cognoscere; sed actu cognoscere creaturam possibilem: ergo haec denominatio nullo modo potest resultare in Deo praecise ex illis formalitatibus sine vlla additione saltem per rationem.

Deinde, quia denominatio posse cognoscere petit necessario cognoscibilitatem, seu posse cognosci in obiecto, & posse cognoscere in Deo; sed actualiter cognoscere est distincta denominatio in Deo: ergo petit distinctam formalitatem praeter illas, a qua proveniat scilicet actualem terminationem, quam activam ex parte Dei intrinsecam ipsi, & actualem terminationem extrinsecam passivam ex parte creaturae possibili. Patet consequentia, quia distincta denominatio petit distinctam formam, quia denominatio est quasi effectus formalis formae; sed distinctus effectus formalis petit distinctam formam: ergo distincta denominatio in Deo, qualis est actu cognoscere creaturas posibles petit actualem cognitionem ex parte Dei, & non sufficit posse cognoscere ex parte ipsius; ergo ex solum posse cognoscere ex parte Dei creaturas posibles, & solum praecise ex posse cognosci ipsarum non potest resultare denominatio actu cognoscentis illas necessario.

Quod amplius vrgetur, quia in Deo datur posse cognoscere creaturas posibles, & actu cognoscere illas necessario, & haec formalitates distinguuntur virtualiter a parte rei in Deo, & formaliter per intellectum; sed distinctis formalitatibus distinctae denominationes correspondent: ergo posse cognoscere diuino creaturas posibles, & actu cognoscere illas correspondent distinctae denominationes scilicet posse cognoscere, & actu cognoscere: ergo actu cognoscere non responder formalissime, & praecise potentiae cognoscendi in diuinis, sed potius actuali intellectioni distinctae a posse cognoscere virtualiter a parte rei, & formaliter per intellectum. Deinde sicut in Deo datur formalitas distincta ab actuali cognitione, scilicet posse cognoscere, ita similiter in obiecto datur duplex formalitas distincta, correspondens vtrique formalitati diuinae, scilicet posse cognosci & actu cognosci; prima formalitas est intrinseca creaturae, scilicet veritas transcendentalis, quae quatenus attributum entis est intrinseca illi. Secunda formalitas est extrinseca, quae provenit ab actuali intellectu diuino. Prima formalitas est necessaria, cum prima formalitate diuina ad deo

denominandum Deum potentem cognoscere creaturas.

Itaque hæc denominatio Deus potest cognoscere creaturas possibiles petit necessario vtrumque, scilicet & naturam diuinam, & intelligibilitatem creaturarum: sed præter illam denominationem datur alia in Deo, scilicet actu cognoscere creaturas possibiles, à qua denominantur creaturæ actu cognita: ergo hæc denominatio distincta à prima petit distinctionem in Deo formalitatum; quia ut dixi, distincta denominatio petit distinctam causam vel quasi causam denominandi; atqui neque in natura diuina neque in obiecto assignatis diuersitatem, quia ad vtramque denominationem, scilicet potentis cognoscere, & actu cognoscere tribuitur eadem omnino natura diuinam, sine vlla differentia ex parte sui adhuc per rationem, & eandem intelligibilitatem creaturæ sine vlla distinctione ex parte ipsius: ergo ex vestra sententia non potest dari duplex denominatio in Deo, sed vnica; atqui hoc est falsum, vt experientia patet; ergo assignandum est aliquod discrimen, hoc non est ex parte obiecti: ergo debetis assignare ex parte ipsius naturæ diuinæ, quia non est aliud, ad quod recurramus; hæc autem differentia consistit in hoc, quod ad primam denominationem requiritur formaliter potentia terminandi, seu tendendi vitaliter ad obiectum; ad secundam autem requiritur actualis terminatio vitalis intrinseca in ipso Deo, quia est vita perfectissima Dei, nam vita Dei non est solum posse viuere, aut posse intelligere sed potius actualiter viuere intelligendo, & amando; atqui actualis vita non est denominatio extrinseca, sed intrinseca: ergo terminatio actualis, quæ est actualis intelligere est intrinseca formalitas in Deo.

86 Quod autem differentia, & distinctio ad has denominationes non sit ex parte obiecti, sic euidenter demonstratur. Quia in obiecto solum datur cognoscibilitas, & actualis cognosci; sed cognoscibilitatem assignatis ad denominationem potentis cognoscere, & eandem assignatis ad denominationem actualiter cognoscendi: ergo nihil diuersum assignatis ex parte obiecti, nec potest assignari actualiter cognosci, quia actualiter cognosci est effectus formalis extrinsecus actualis cognitionis diuinæ; atqui effectus formalis alicuius formalitatis non potest assignari pro constituto formali suæ causæ, quia omnis causa est prior suo effectui, & quod est prius non dependet, neque constituitur à posteriori, de quo multa dicam *disputatione sequenti de actibus liberis*: ergo actu cognosci in obiecto non potest assignari ad denominationem cognoscens actualiter, ac proinde ad talem denominationem, vt distinguitur à denominatione potentis cognoscere nulla datur differentia ex parte obiecti: ergo querenda est ex parte diuinæ naturæ intrinseca ex parte ipsius, quæ nihil aliud est, quam actualis intellectio distincta à posse intelligere creaturas possibiles.

Dices, in Deo nullo modo distingui posse cognoscere creaturas possibiles ab actuali cognitione illarum.

87 Sed contra; & insurgunt nuper dicta, videlicet quod non possit dari duplex denominatio in deo, scilicet potentis cognoscere, & actu cognoscere; deinde patet per se, quia deinde quia vt

ta, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio illius; sed de posse cognoscere creaturas possibiles necessario, & de actuali cognitione diuina verificantur huiusmodi prædicata simul respectu eiusdem intellectus Angelici, quatenus distinguitur à parte rei à sua intellectio; nam posse cognoscere in diuinis conuenit realiter cum tali intellectu, & actualiter cognoscere non conuenit realiter, sed potius differt ab intellectu angelico vt sic: ergo posse intelligere creaturas possibiles, & actu intelligere illas distinguuntur necessario, aut formaliter, ex natura rei, aut virtualiter à parte rei; aut saltem minimum ratione rationata per intellectum; & si in hac materia non concludit hoc argumentum, ratione illius non poterit concedi distinctio aliqua inter attributa, relationes, & essentiam, vt efficaciter contendunt aduersarij, præcise propter hanc rationem, sed posse intelligere, & actu intelligere, seu actualis intellectio se habent, vt actus primus & secundus: ergo iam in Deo datur actus primus, & secundus nostro modo concipiendi in intellectu necessaria: ergo à fortiori in intellectu libera, vbi magis vrgent argumenta, vt patet ex dictis.

88 Ex quibus amplius sic confirmo nostram sententiam explicando applicando; difficultas scientiæ libera, sicut datur in Deo posse cognoscere creaturas possibiles, datur etiam posse cognoscere creaturas futuras & actuales; & sicut datur in Deo actu cognoscere creaturas possibiles; ita datur in ipso actu cognoscere creaturas futuras, & existentes; & sicut posse cognoscere creaturas possibiles distinguitur ab actu cognoscere illas in diuinis; ita similiter posse cognoscere creaturas futuras, & existentes distinguitur ab actu cognoscere easdem propter conuenientiam, & non conuenientiam, &c. sed actu cognoscere distinctum à posse cognoscere creaturas possibiles est formalitas intrinseca vitalis in Deo, & non solum denominatio extrinseca ab obiecto: ergo similiter actualiter cognoscere creaturas futuras, & existentes est actualis intrinseca formalitas, & non solum denominatio extrinseca, aut complexum ex natura diuina, & obiecto. Pater consequentia, quia ideo in cognitione necessaria actualiter cognoscere est intrinseca formalitas, & non complexum ex obiecto, & natura diuinæ; quia cognoscere actualiter creaturas possibiles est viuere diuinum, seu vita actualis diuina, quæ quatenus talis petit adæquate esse intrinsecam; sed etiam cognoscere actualiter creaturas futuras, & existentes est vita diuina, seu viuere actuale diuinum: ergo non potest esse denominatio extrinseca, aut complexum formaliter ex obiecto & natura diuinæ; quia non est maior ratio vnius, quam alterius. Minor illa sic probatur; quia vita diuina, seu viuere actuale est intelligere infinitum includens omnem rationem intellectus, ac proinde est omni-intelligere, aut omnis intellectio, hoc est intellectio omnium intelligibilium; sed intelligere aut intellectio creaturarum futurarum, & existentium, est verum, proprium, & formalissimum intelligere: ergo est vere proprium, & formalissime viuere diuinum.

89 Exemplo probatur, in Angelo posse intelligere esse posse viuere, & actu intelligere est actu, & formalissime viuere: sed tam intelligere creaturam possibilem, quam existentem, est verum intelligere, & est verum viuere; itaque sicut intelligere possibilem in Angelo est actu intrinseca Angelo, eo quod

vita est; ita similiter intelligere creaturam existentem in Angelo est adæquate intrinseca formalitas in ipso; quia adæquate est vita actualis sine eo quod inter vtrumque intelligere quoad hanc rationem intrinsecæ formalitatis detur discrimen, aut differentia aliqua; quia ubicunque datur eadem ratio formalis, debet dari idem effectus, vel quasi effectus formalis, & non diversus: sed in vtroque intelligere Angeli datur eadē ratio formalis vitæ quæ ex sua natura petit esse adæquate intrinseca: ergo in vtroque intelligere datur ratio adæquate intrinseca.

90 Tunc sic, sicut intelligere creaturas possibles in Deo est viuere in Deo formalissime, & quia est viuere formalissime est adæquate ratio intrinseca in Deo; sed etiam intelligere creaturas existentes est formalissimum viuere diuinum, vnde à cognitione huiusmodi, & à cognitione creata præscinditur ratio communis vitæ actualis vt sic: ergo cognoscere in Deo creaturas futuras, & existentes adæquate, & formaliter est intrinseca ratio, & minime denominatio extrinseca ab obiecto; vnde intelligere diuinum creaturarum futurarum & existentium non solum addit obiectum creatum, vt male docebat Herize, sed etiam modo nostro intelligendi formaliter & virtualiter à parte rei actualementendentiam, terminationem vitalem, & vitalem representationem, seu perceptionem actualement futuri, & existentis obiecti; quapropter sicut in creatis cognoscere actu obiectum addit supra posse cognoscere formaliter à parte rei representationem actualement vitalem distinctam formaliter à parte rei à posse cognoscere, & intrinsecam respectu intellectus; ratione cuius per solam positionem posse cognoscere, & per solam positionem obiecti cognoscibilis sine additione formalitatis dictæ non posset intelligi actualis cognitio; quia actualis cognitio distinguitur formaliter à parte rei intrinsece à posse cognoscere, & extrinsece à posse cognoscere obiecti.

91 Ita similiter actu cognoscere creaturas existentes aut futuras addit supra posse cognoscere in Deo, non formaliter à parte rei, sed solum virtualiter, formaliter tamen per intellectum actualement representationem intrinsecam vitalem perceptionem, tendentiam seu terminationem intrinsecam vitalem actualement; sine quibus nullo modo potest constitui in esse actu intelligentis, & cognoscentis, quapropter sine hac tendentia, & actuali representatione vitali virtualiter, & æquialenter addita intrinsece supra posse intelligere nullo modo potest esse Deus actu intelligens, etiam si milles ponatur obiectum intelligibile, & aliquetur posse intelligere; quia actualis intellectio, tendentia, & representatio vitalis distinguitur virtualiter à parte rei intrinsece à posse intelligere creaturas futuras, & existentes, & formaliter realiter ab obiecto.

92 Tandem, quia obiectum solum concurren-  
tialiter, & non formaliter ad constitutionem potentie in esse viuentis; quia constitutio viuentis est intrinseca, & immanens formaliter adæquate, licet terminatiue, & obiectiue sit extrinseca, hoc est licet petat pro termino & obiecto formali extrinsecam rationem, quæ terminet constitutionem intrinsecam adæquate viuentis; v. g. Petrus videndo parietem viuat vita sensitua, & quia viuere est formaliter adæquate

intrinsecum, licet obiectiue, & terminatiue sit extrinsecum, paries nullo modo concurren-  
tialiter ad constitutionem Petri videntis, sed solum terminatiue, & obiectiue terminando extrinsece visionem adæquate intrinsecam actualement, & idem est de intelligere, velle & reliquis quod etiam contingit per vos, & per omnes in intelligere, seu cognoscere necessario Dei, ad quod formaliter non concurren-  
tialiter obiectum, sed solum terminatiue extrinsecè, hoc est terminando solum totam & adæquate intrinsecam intellectionem necessariam, in cuius formalem, & intrinsecam seu essentialem constitutionem non ingreditur obiectum, quia est viuere formaliter.

Atqui intelligere creaturas futuras, & existentes est viuere formaliter in Deo: ergo ad constitutionem talis intellectionis diuinæ, aut diuini intelligere non concurren-  
tialiter obiectum intelligibilis nimirum futuritionis, & existentie, sed solum terminatiue, & obiectiue, hoc est terminando extrinsece totam & adæquate intrinsecam intellectionem illatam totaliter se habentem intrinsece ex parte Dei, tanquam formalitatem non admittentem in sui formali constitutione intelligibilitatem creaturarum futurarum, & existentium; (quia aliunde, & non ab obiecto, scilicet per representationem, & tendentiam vitalem reperitur constituta in Deo) requirerent tamen vt terminum extrinsecum suæ tendentie vitalis ipsum obiectum, seu intelligibilitatem creatam: ergo falso asserit Herize intellectionem diuinam actualement, seu scientiam visionis creaturarum futurarum formaliter solum addere, tanquam formale constitutum scientie ipsam intelligibilitatem obiecti; quia vitale adæquate non potest formaliter per non vitale, quale est intelligibilitas obiecti constitui.

94 Vergetur, & declaratur amplius; quia nulla relatio, vel quasi relatio formaliter potest constitui in suo esse per suum terminum, licet terminatiue, & obiectiue constituatur per illum, præcipue in relationibus transcendentalibus, vel quasi transcendentalibus, aut in formalitatibus connexis cum obiectis; v. g. omnipotentia, licet terminatiue petat creaturas possibles, non tamen formaliter constituitur per illas, & idem est de exemplaribus diuinis, seu de scientia simplicis intelligentie; nam scientia leonis possibilis, aut exemplar illius; licet requirat pro termino, & obiecto leonem; formaliter tamen non constituitur in suo formali esse per leonem, quia est relatio, aut secundum dici, aut transcendentalis ad leonem; quapropter secundum nostram fidem catholicam certissimum est, licet pater petat necessario filium vt terminum, & filius patrem eodem modo. Spiritus sanctus vtrumque tanquam terminum suæ relationis, quatenus sunt vnum principium; nihilominus tamen neque Patrem constitui formaliter in esse Patris per filium, neque filiationem per paternitatem, neque spirationem passiuam per relationem spiratoris actiui; itaque nulla relatio, siue sit secundum esse, siue secundum dici constituitur formalissime in suo esse per suum terminum vel obiectum.

95 Et ratio euidens à priori est est; quia vnum oppositum formaliter non constituitur per alterum sibi oppositum, licet extrinsece respiciat illud, vt videre est in frigiditate respectu caloris, in tenebris respectu lucis, in vno con-

tradictorio respectu alterius; sed relatio est opposita suo termino: ergo nullo modo potest constitui formaliter per suum terminum. Minor est certa ex omnibus Doctoribus sequentibus Aristotelem, qui posuit quatuor genera oppositorum scilicet contrariorum, privativorum, contradictoriorum, & relativorum: ergo relatio est opposita suo termino; de quo latissime ago in Logica prædicamento de relatione. Maior illa est certa, quia ut duo prædicata concurrant ad constitutionem unius debent simul coniungi, & existere in eodem subiecto constituto per illa; quia omnis constitutio est per unionem, aut identitatis, aut coniunctionis; sed duo opposita non possunt simul coire in eodem subiecto, sed potius ex vi suæ definitionis mutuo se expellunt, & excludunt, quia opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt: ergo duo opposita nullo modo possunt formaliter constituere unum; & à fortiori unum oppositum non potest constitui ab alio; quia constitutum non solum est simul cum constituto, sed etiam essentialiter, & formaliter intra ipsum, quod nullo modo potest contingere in uno opposito respectu alterius.

96 Sed scientia, intelligere, & intellectio divina est relatio, aut secundum dici, aut transcendentalis, ad suum obiectum; unde scientia Dei respectu creaturarum, aut quæ cognoscit creaturas formaliter & per se quatenus illas cognoscit, non est ad se, sed ad aliud: ergo est opposita suo obiecto, & intelligibilitati illius, præcipue si obiectum est creatum, quia scientia divina, infinita & increata opponitur obiecto finito, & creato: ergo formaliter non constituitur per suum obiectum, & intelligibilitatem illius licet terminative petat, & requirat illum.

97 Atqui scientia visionis, seu intellectio divina actualis per quam Deus cognoscit creaturas futuras & existentes, est vera & propria scientia infinita, & increata Dei, seu verum, & proprium intelligere divinum increatum, & imparticipatum seu infinitum habens pro obiecto intelligibilitatem creatam finitam, & limitatam: ergo est formalitas ad aliud, ac proinde est relatio, aut secundum esse, aut secundum dici habens pro termino opposito relativo formaliter rationem intelligibilitatem creatam: ergo evidenter & manifeste sequitur scientiam visionis formaliter non constitui à cognoscibilitate creaturæ futuræ, & existentis licet petat terminative illam: ergo præter cognoscibilitatem creaturatum, & præter posse cognoscere ex parte Dei requirit formaliter aliquid, per quod formaliter constituitur in esse actualis intellectio, & ratione cuius nostro modo intelligendi transeat Deus formalissime de potente intelligere ad actum intelligere, quod nihil aliud potest esse, nisi actualis tendentia vitalis, actualis vitalis terminatio seu actualis representatio, & præceptio vitalis ad æquata obiecti creati; atqui actualis intellectio, representatio, & tendentia vitalis est actus secundus intelligendi comparatus cum posse intelligere, & posse intelligere comparatum cum actuali intellectio, seu tendentia à vitali est actus primus: ergo iam datur in Deo nostro modo concipiendi actus primus, & secundus ad intelligendum, non obstante solutione futili adversariorum.

98 Quam veritatem alio modo urgeo; quia hæc

obiecta, quæ Deus facere decrevit, ita Deus nescit ab æterno esse futura scientia libera, ut posset etiam ab æterno non cognoscere ut futura ea scientia; etenim si non hæc, sed alia creare decrevisset, ut poterat, non hæc, sed alia cognosceret hæc scientia: ergo hæc scientia distinguitur nostro modo intelligendi ab illa; siquidem hæc existit, & illa non existit nostro modo concipiendi, quia eadem formalitas non potest esse eadem respectu duorum contradictoriorum; sed homo futurus, homo non futurus sunt duo contradictoria obiecta: ergo eadem omnino adhuc per rationem non potest esse scientia virtualiter, sed diversa virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum; v. g. odium & amor in voluntate divina non sunt idem formalissime, sed potius distinguuntur virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem; quia habent pro obiectis formaliter contradictorie oppositas, scilicet bonum, & non bonum; sed scientia de futuro & non futuro habent pro obiectis formaliter contradictorie oppositas: ergo non est una, & eadem virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum, sed potius ita distinguuntur tales scientiæ ratione obiectorum, ut existente una, non existat alia simul, sicut contingit in odio, & amore Dei; ergo tales scientiæ sunt plures, & non una nostro modo intelligendi cum fundamento in re ipsa, eo modo quo contingit in odio, & amore.

99 Atqui in Deo posse intelligere contradictoria, scilicet futurum, & non futurum, adhuc per rationem non est plura, sed unum; sicut voluntas divina est una adhuc per rationem, quæ potest amare, & odio habere, & ideo est actus primus: ergo etiam posse intelligere futurum & non futurum est actus primus respectu intellectiois futuri, & intellectiois non futuri; ut in creatis posse intelligere hoc, & intelligere oppositum; quia est unum, quod reducitur ad actum secundum intelligendi hoc, & illud, & radicantur in ipso posse, tam hoc, quam illud intelligere, est actus primus respectu illorum; sed in divinis datur unum posse intelligere, quod reducitur ad intelligendum hoc & poterat reduci ad intelligendum oppositum: ergo sine dubio est actus primus, quod pro aliquo priori antequam haberet actum secundum sciendi hæc obiecta nostro modo intelligendi fuit in potentia ad illa cognoscendum, & non cognoscendum: ergo etiam fuit ab æterno in divino intellectu aliqua reductio, seu processus ex potentia ad actum, & determinatio ex actu primo secundi ad actum secundum: consequentiæ factæ manifestæ videntur confirmatæ ex dictis.

## SVBSECTIO VIII.

*Ultimum argumentum principale ponitur.*

100 **Q**uia divina essentia ultimo constituta est obiectum primum divini intellectiois: ergo divina intellectio non constituitur primario & formaliter ultimo divinam essentiam. Maior est evidens, admittiturque ab adversariis; quia inter obiecta divine scientiæ datur duplex genus obiectorum, aliud creatum aliud increatum, sed creatum non est primum obiectum, sed secundarium: ergo primum est increatum inter increatas autem perfectiores essentia divina ultimo